

simorum Medicorum Axiomā: "Eúxgas & melancholicis, la-  
pidi rēnum, scirrhis, Quartanis. Itaq; pessimē consulunt,  
qui confessim vomitoriis, purgantibus, sudoriferis fortibus  
instant, & mōrbum nascentem in ipsā herbā rescindere, &  
opprimere conantur quā temeritate sēpe duplex, aut tri-  
plex redditur, aut in graviores affectus effetae sit. Nisi con-  
stat mōrbum tantū ab errore externo provenisse, vel mul-  
tas cruditates congestas esse, quæ coctione non exspectatā  
debeant educi: Alioquin spretis ceteris pro hoc medeni-  
di modō rationibus ab initio saltē LENIENTIA præ-  
beantur, ex levī decoct. fumariæ, epithymi, & fol. sennæ in  
sero caprino, syr. de pomis saboris, syr. ex infus. ros. pallid.  
cum fol. sennæ, aloe rosatā, Elec̄t. lenit. & aliis blandē eva-  
cuantibus. Aut injiciantur CLYSTERES quibus fl. bor-  
rag. buglossi, succus liquoritiae, & aliquid hieræ simplicis  
addita sint.

PRÆPARANTIA *alia* humoris peccantis excessus corrigunt, & pro ejus diversitate, si calidus fit, quæ re-  
frigerent, frigidus quæ modicè calefaciant, siccus, quæ hu-  
mectent, omnia autem putredinem inhibeant, eliguntur,  
eiusmodi sunt cichorium, fumaria, ceterach, borrage, bu-  
glossum, cortices citri, capill⁹ Ven. melissa, chamædrys &c.  
atq; ex his variè composita: *alia* simul vias recladunt, per  
quas cocta materia ductum purgantis promptius sequatur,  
qualia parantur ex rad. filicis, polypodii q., cortice rad. ta-  
marisci, capparum, cuscutā, genistā, sale hyperici, centau-  
ri minoris: Egregiora & validiora pro contumacibus ple-  
rumq; in hac febre oppilationibus DIGESTIVA petuntur  
& CHYMICORUM scholâ, Tartarum Vitriolatum, arca-  
num Vitrioli, crystalli Tartari, mixtura Antihypochondria-  
ca, Tartarum chalybeatum: attenuant, incident, aperiunt,  
cachexiam, & putredinem emendant. Crocus Martis ape-  
ritivus aliquot dies sesqui horam ante cibum sumt⁹ atrum  
sanguinem reseratis obstructionibus educit. Universale di-  
gestivum repetitis vicibus ad gr. 15. cum Cremoris Tartari  
Scrup. sine discrimine humoris febrem gignentis adhibi-  
tum insignem præstat operam.

Qui-